



# Disputatio theologica in 1. Joann. 11. 2. : pars prima

<https://hdl.handle.net/1874/340905>

DISPUTATIO THEOLOGICA  
 IN 1. JOANN. 11. 2.  
 PARS PRIMA  
 QUAM  
 Favente Deo,  
 SUB PRÆSIDIO

D. JOHANNIS HOORNBECK, S.S.  
 Theol. Doctor. ejusdemque facultatis in inclycâ  
 Acad. Ultraject. Prof. ac in Eccles. ibi-  
 dem Pastoris vigilantiss.

*Publicè ventilandam proponit*

DANIEL MEYERUS Crucinaco-Palatinus.

*Ad diem 14 Aprilis hora locoque solitis.*



ULTRAJECTI,  
 Ex Officina IOANNIS à VVAESBERGE,  
 Anno MDCXLIX.

*Amplissimis, & praeclara nobilitate eminentissimis,*

D O M I N I S,

DD. CASPARO VOSBERGEN, Equiti, Domino in Yselaer, Duyven-dijck &c. In amplissimo confessu Praepot. Ordinum Generalium Unitarum Provinciarum Delegato Ordinario, dignissimo.

DD. DAVIDI GODIN, Aggeris Martiniani, & Scherpenissæ Toparchæ gravissimo.

DD. JACOBO GODIN, Equiti inclytissimo.

DD. BARTHOLOMÆO PANHUYSEN, Domino in Voren strenuissimo.

DD. JOANNI LUDOVICO PANHUYSEN, Indicæ Occidentalis societati Praefecto prudentissimo.

*Dominiis suis colendissimis*

*Theses hasce Theologicas quàm humillimè offert*

DANIEL MEYERUS

Resp.

## DISPUTATIO THEOLOGICA,

## P A R S P R I M A,

## I N 1. J O A N N. 11. 2.

Καὶ αὐτὸς ἰλασμοῦ ἐστὶ παρὰ τῶ ἀμωρηνῶν ἡμῶν. ἔ παρὶ τῶ ἡμετερώων ὃ μόνον, ἀλλὰ καὶ παρὶ ἄλλων ἔ κάσμεν.

## T H E S I S I.



Copus textus facile apparet, ex hoc, & præcedenti versu, quod sit, consolari pios ac fideles, contra reatum suorum, in quæ recidunt, peccatorum: nam Christum habemus fidum potentemque apud Patrem, pro nobis, nostrisque culpis Paracletum. & is jure merito talis, quoniam ἰλασμοῦ est pro peccatis, pro peccatis nostris: quod ut magis confirmet Apostolus, amplificetque, addit; *neque solum pro nostris, sed & pro peccatis totius mundi.* Doctrinam satisfactionis pro peccatis nostris, per Christi ἰλασμοῦ hoc loco contineri, pro certo habemus; sed altero textus membro impræsentiarum inhærebimus, ubi de extensione istius ἰλασμοῦ Apostolus loquitur.

## I I

*Pro quibus satisfecit Christus?* ita malo controversiam, ex istis verbis natam proponere, quam, pro quibus *mortuus* sit; quia & ἰλασμοῦ magis exprimit; & judicium de satisfactionis latitudine melius informat; quam attendere oporteat, non simpliciter bono & usui illorum mortuum Christum, pro quibus passus; sed & illorum loco, & in veram pro ipsorum peccatis satisfactionem. ἀντὶ ὑπέρ, Ioann. xi. 50. 51. 52. ut unus homo moriatur ὑπέρ ἑ λαῶ, Syrus *ܠܘܘܝܗܘܢ*, neque universum hoc genus pereat. quod Græci dicunt ἀπὸ φέρων. Pro quibus ergo satisfecit, aut fecit ἰλασμοῦ non quæro jam finem cuius, sed

*eui*; de illo dicitur, quod dedit *in* *Christo* pro peccatis: at de hoc intelligendum; non pro *nostris* solum; sed & pro peccatis *totius mundi*. Pro peccatoribus satisfecit; sed hominibus, non Diabolis: in confesso hoc. sed pro quibus hominibus? an, pro omnibus, & singulis? eo quod hic dicitur, pro toto mundo.

I I I

Sextuplex sententia est. *Prima*: pro omnibus hominibus mortuum Christum, & satisfecisse; ita ut tandem omnes etiam & singuli aliquando sint actu *salvandi*; non quidem ultimo jam die, sed post aliquot abinde secula, & perpessus diu pœnas. Tribuitur hæc sententia Origeni, quem vide *de* *ἀρχαῖς* *lib. I. cap. VI. & lib. II. cap. III. lib. III. cap. VI. Homil. VIII. in Iosiam, & XXIII. in Matth.* Et Augustinum adde, *lib. de Hæresib. cap. XLIII.* Quid autem de eo judicandum sit, non est hujus loci exponere, diximus de eo *Disp. de Theologia Patrum*, part. x. Eadem opinio, vel error, nam error est, de omnium hominum futurâ ad extremum salvatione, fertur quoque esse Armenorum in Oriente: sed ab Hæreticographis Papistis, quibus in hac materia non satis secure statuitur, Alphonso Castrensi, Guidone Carmelita, Prateolo. Confer Augustinum, *lib. XXI. de civit. Dei, cap. XXIV.* ubi advertus eos disputat, *qui contra Dei venire verba velut misericordia majore conantes, omnes etiam impios salvandos in Dei judicio dicent, ob preces & intercessionem sanctorum, pro illis.*

I V

*Secunda* sententia: Non statuit omnes actu per Christum aliquando salvandos; sed eam tamen vim & fructum esse passionis ejus in omnes homines, ut actu omnes remissionem peccati *originalis* inde obtineant, atq; in statum gratiæ collocentur; à quo iterum excidant, & damnentur ob sua propria, que sequuntur, peccata. Hi, actualem omnium hominum ex Christo redemptionem ad infantes singulos extendunt, & per Christum liberari omnes ex lapsu, quo eos Adam involvit, asserunt. Hujus opinionis fuerunt, Samuel Huberus, Hel-

vetus,

vetus, Lutheranus, Cornelius Wiggerus, Adrianus Borreus, apud Arminium, in *Respons. ad xxxi. art. xiiii. xiv.* Non hic repetam quæ celebri Theologo, in *Synagm. lib. iv. cap. vi* emissa verba molestiam nonnullam creant, melius explicata, in *Synagmatis Dissertat. exeg. & Apolog. disert. i. de peccato Origin.* Apud Papistas fuit Ambrosius Catharinus, qui omnium infantium redemptionem per Christum, docuit, cujus argumenta, si velis, lege apud Bellarminum, *lib. vi. de Amis. grat. cap. iiii.* Et Anabaptistarum eandem sententiam habes apud Sylvium, & Dooreslaer, *art. vi. §. i. art. x. §. iiii.*

V

*Tertia:* Christi satisfactionem non quidem actu applicari omnibus & singulis hominibus, in eorum redemptionem; sed tamen quantum ad Dei tum destinationem, tum Christi morientis animum, pro omnibus hominibus æque eam præstitam esse, ut quicumque velint, pro arbitrio suo possint, ejus fieri participes. Hi discrimen salvandorum, & redemptorum, petunt ex ipso hominis arbitrio, universalem redemptionem vel acceptantium, vel repudiantium. Ita Papistæ, in Concilio Tridentino, *sess. vi. cap. 2. 3.* Becanus, in *Manuali Controvers. lib. iiii. cap. ii.* Alii. Sic & Anabaptistæ, quorum sententiam vide ex testimoniis adductis à Dooreslaer & Sylvio, in *Demonstrat. discrim. inter Reform. & Anabapt. Belgicè, Art. ix. §. iiii.* præter universalem ad omnes infantes, & homines, prout ex Adamo descendunt, redemptionem Christi applicatam, etiam hanc universalitatem omnibus & quibuscunque peccatoribus æque expositam, docentes. Illa quoque doctrina est Remonstrantium, de redemptione universali, in secundo eorum articulo, ut satis notum est. Et, quod forte quis miretur, similiter loquuntur ipsi quoque Sociniani, de suâ, quam docent, per Christum, redemptione; non quidem satisfactione: distinguentes inter mortis Christi efficaciam; & effectum, vel eventum; quod est, inter impetrationem, & applicationem; inter sufficientiam, & efficaciam. Jonas Schlich-

tingius, in epist. ad Hebr. i. pag. 426. Vnde porro nec omnes peccati onere effectus ipso leventur. quod tamen respectu divini consilii non nisi ex eventu est; siquidem omnes quibuscunque Deus gratiam suam offert, quosque vocat, credere & obedire & possent, & deberent. Idem de ablotione peccatorum, quâ fiat ne homines peccatis amplius sint dediti, dicimus. Si enim eventum seu effectum ipsum spectes, multorum tantum, non omnium peccata oblotione sua amovit Christus, effecitque ut sancte viverent. Nam quod ad vim & efficaciam oblotionis Christi attinet, omnium hominum Christus & peccata ipsa & peccatorum penas ac reatum sustulisse censendus est.

V I

Quarta sententia est Lutheranorum, dicentium: Christum morte sua pro omnium & singulorum hominum peccatis ex æquo satisfecisse; neque omnibus tamen actu applicari, & ex usu esse, ob propriam infidelitatem: non vero discrimen fidelium ab infidelibus, vel causam fidei ex homine, ejulve arbitrio arcessunt; ut & hic nonnulli inter eos sæpe claudicent. In Colloquio Mompelgartensi, de Prædestinatione: pro omnibus peccatis, & peccatoribus, ajunt. L. Osiander, fil. in Enchirid. de Prædestin. cap. viii. qu. iiii. contra Calv. Christum Iesum mortuum esse, pro totius generis humani, & non tantum pro electorum, sed & pro reprobatorum, pereuntium, & damnatorum omnium, omnibus peccatis. Ioh. Gerardi, Confess. Catholic. Tom. iv. lib. i. part. iii. pag. 76. Christus non solum pro omnibus peccatis, sed etiam pro omnibus peccatorum pœnis tam temporalibus, quam aternis satisfecit. Chemnitius, in Harmonia Evangelica, cap. lxxx. pag. 1539. *ὑπολύτρωσις* Christi est universalis, & pertinet ex æquo ad omnes homines, Iudeos pariter & gentes. Adde Ægidium Hunnium, Disput. xxix. Henricum Eckhardum, in Fasciculo Controv. cap. xv. qu. vi. Hinc quæstio ipsis mota: An Christus pro finali etiam impœnitentia vere satisfecerit? quam in Academia Wittebergensi affirmative defendit, inter alias quæstiones vexatas, Balthazar Meisnerus A. cl. loc. xx.

V I I

*Quinta* sententia Aliquorum inter nostros est: Christum pro omnibus hominibus universale præstitisse quidem <sup>ἀποστολῶν</sup>; at ita tamen, ut ad Electos singulariter illud destinaret, iisque applicare intenderit: neque ullo modo ab hominum arbitrio pendeat illud apprehendere; sed à singulari foliis electis à Deo destinata Spiritus S. gratiâ: interim reliquorum culpam esse, quod suâ infidelitate universalem redemptionem non quoque suam faciunt. Nulli non nota sunt Bremensium, & Salmuriensium DD. Theologorum scripta.

V I I I

*Sexta* denique est Ecclesiarum nostrarum, juxta Synodum Dordracenam, sententia & doctrina: Christum ex voluntate Patris & suâ, satisfacisse morte suâ non pro aliis, quam pro electis, & salyandis. Hæcque verissima.

I X

Non mihi animus est repetere, quæcunque hac super re, præcipue in Belgio nostro, nuper contra Remonstrantes ferè ad fastidium usque disputata fuere; quam quidem exponere locum & textum propositum 1. Ioan. 11.2. atque videre, num is aliquâ ratione, ad stabiliendam universalem redemptionem, pro quâ tamen ab omnibus eam tuentibus, adferri imprimis solet, facere statui debeat. Dicimus autem, locum istum non *posse*, non *debere* in istam sententiam exponi; sed *aliter*, commodissimè.

X.

Non *posse*. quia loquitur Apostolus de expiatione *actuali*: non de redemptione, & propitiatione impetratâ; sed *applicata*. Iam vero non toti mundo eam actu applicari, certum pono: quare vox *mundi*, ubi dicit Apostolus, Christum *ἵνα ἑμεῖς* esse, non pro nostris peccatis solum, sed & *ἵνα ἵδωμεν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ*, ad omnes & singulos in mundo homines trahi nequit. *verf. 1. Et qui peccavit, paracletum habemus apud Patrem, hoc est, qui actu pro nobis intercedit, & intercessionis suæ nos reddit*  
par-



participes. *Is est expiatio pro peccatis nostris*; non erit hæc consolatio, nisi actualis, & applicata expiatio intelligatur. Pergit, *neque pro nostris solum*, eodem nimirum sensu, & applicatione; *sed & totius mundi*. Pro cujus mundi peccatis Christi expiatio æque est, ac pro Iohanne & suis, & utrisque applicatur, is hic mundus intelligitur: sed ille non est omnium hominum; ergo. Duo noto; Apostolum loqui de *propitiatione actuali*; deinde de toto mundo *æque* ac de se, suisque: *non solum pro nostris, sed vero etiam pro*. Quare, quum non sit par ratio omnium in orbe hominum, cum Ecclesia, neque actu omnes redimantur, huc trahi vocabulum mundi nequit, ut omnes designet. Adde & tertium; sequenturum hinc ex Adversariorum expositione, mundum etiam *infidelem* salvatum iri; nam si à suis deflectendo oculos Apostolus ad mundum, infidelem respiciens, eum eodem sensu dicat expiationem in Christo habere, ac ipse, suisque; jam infideles quoque salvabuntur. Sin dicatur, Apostolum intelligere, pro universo mundo Christum esse *ἵλας* *μὲν*, siquidem credat; ita nostræ expositioni acceditur, & illa mundi universitas restringitur ad fideles: quod si vox patiat, jam in tuto res est. Neque responderi potest, Apostolum velle, Christum actu esse expiationem sibi, suisque; at reliquo mundo tantem impetratoriæ, vel meritoriæ, aut sufficienter: primo id dici nequit, quia eodem spiritu Apostolus Christum expiationem appellat pro mundo, ac pro se, & suis; quod nemo diffitebitur in contextu patere, nisi cui constitutum *ἡ ἰκανότης ἀγαθῶν*. Tum pro omni reliquo mundo, excepto Apostolo cum suis, quibus hic scribit, Christum expiationem esse solum sufficienter, non quoque pro multis ex isto mundo efficaciter, tam ac pro Apostolo, aliisque, haud verum.

X I

Locus non *debet* pro universalis redemptione, vel satisfactione exponi; quia ea pugnat cum analogia fidei: nempe cōtra rationem I. *predestinationis*. II. *ipsius satisfactionis*. III. *vocati-*

*onis;*

onis : quæ singularia adeo omnia sunt, ut istam universalitatem non ferant.

X I I

I. Quum ab æterno, certo Deus & immutabili consilio destinavit aliquos in salutem, reliquos non, noveritque semper optime illos salvandos, non hos; quomodo, quos à salute segregavit, salvare etiam per Christum voluisse, iisque satisfactionis, æque ac pro aliis salvandis, gratiam in eorum salutem fecisse, cogitari aut dici potest? siquidem unico eodemque actu nolle alicui salutem, & velle, contraria quam maxime sunt; velle pro ipsorum peccatis à Christo satisfieri, & velle eorum peccata in ipsis vindicare; nolle iis salutem, & velle tamen salvatorem, pugnant. Quare Deus, ut bene novit, qui sui sint I. Tim. II. ita de damnandis inquit: *numquam novi vos*. Matth. VII. Quod profecto non diceret, siquidem pro ipsorum omnium cunctis peccatis tam dirâ morte satisfactum Deo à Christo esset.

X I I I

II. Pro quibus Christus morte suâ satisfecit, I. eorum personam sustinuit, & subivit locum, ac statum ערב II. reatum in se suscepit, perferendum. בו הפניע Iesa III. 6. על ראש שום ארץ עליך dicitur, Iezechiel. IV. 4. 5. על ראש super caput alicujus reatum esse II. Sam. III. 29. *μείνε* Ioan. III. 36. Matth. XXVI. 24. 25. *ἀίρων τὸ ἀμαρτῶν*, Ioann. I. 29. III. exolvit, dedit ἀντιμισθίαν, ἀντίμισθον, חלה, תורה, ארץ, loco aliorum, ut Hebræi, Græcique hoc loco iis phrasibus utuntur. Satisfacere, inquit Alconius, est tantum facere, quantum satis fit irato ad vindictam. Satisfactio fit vel כממונה ut loquuntur Icc. Hebræorum, in pecuniariis; vel בנפשה in criminalibus, per vitam. Posterior hic spectatur. IV. denique satisfactione pro iis præstita, à Patre Christus retulit ut Vades remissionem, dum suscitatus fuit è mortuis; in signum & argumentum integræ justæque satisfactionis, & bene à Deo acceptæ: Quæ omnia Christum pro singulis hominibus,

reprobis eque ac electis , damnandis pariter ac salvandis ,  
præstitisse, non dicendum. Sed pro suis, electis, & salvandis ea  
egisse Christum, facile liquet. Quid, an personam reprobõrũ,  
æternũ damnandorum, & pereundorum Christus tulit? ho-  
rum æq; ac suorum, & salvandorum ? reatum damnandorum  
an suscepit in se? illorumne ἀμαρτίας ἀπολύειν ἐν τῷ Σουλῆ ἀντὶ ἐνὶ  
τῷ ἔθνῳ? I Pet. II. 14. **כָּל־כֶּסֶף** Ies. lxxi. 4. pro, inquit illis factus negoti-  
us? Galat. III. 13. pro istis pœnas debitas exsolvit? qua de  
causa ergo ii adhuc plectuntur, puniuntur? Si Deus testatus  
fuerit sibi satisfactum pro omnium, etiam pro damnando-  
rum peccatis, quomodo damnari possunt, qui liberari debe-  
rent? D. de solution. & liberat. l. lxxiii. si quis &c. bona fide  
solverit: quando liberetur? & ait Iulianus. cum dominus ratum ha-  
buerit, tunc liberari. Quomodo iterum exigat Deus, & iuste,  
pœnam ab istis hominibus, & pro iisdem peccatis, pro qui-  
bus semel ei plenissime factum satis? Bernardus, ad milites  
templi: qua ratione iterum exigetur à nobis, quod pro nobis iam is  
solvit? Non id iustum est apud ullum forum. Canones Ec-  
clesiastici habent: *ὁ δὲ εἰς θεῶν ἐκδοτικῶν ἐστὶ τὸ ἀνόμιον* Apostol. can. xxv.  
Basilii can. III. xxxii. l. Photius, in Nomocanone, tit. ix. c.  
xvii. D. ad senatufc. Turpillian. l. aut privatum. Tertio genere  
fit ex lege abolitio, accusatore mortuo, vel ex iusta causa impedito, quo  
minus accusare possit. Abolitione autem publice facta, non retractabi-  
tur in iudicio repetendo. In argumento autem nostro Christus  
per mortem suam abolevit eum qui potestatem habebat mortis, id est  
Diabolum. *καὶ ἡ ζωὴ* Heb. II. Tertullianus, lib. de Pudicit. ecquis  
alienam morte sua solvit, nisi solus Dei filius? Prosper, carm. de  
Ingratis: cuius perimatur morte peremptor, inquit. Et per Chri-  
sti patrocinium, ac intercessionem, non est Diabolo contra  
nos locus. Ambrosius, lib. v. epist. xxi. l. Pro quibus enim Chri-  
stus passus est, & quos sanguine mundavit suo, pro iis interpellat &  
spiritus. Quod si pro omnibus ista mors Christi, & resurrectio,  
& intercessio, hominibus, peccatisq; jam sane abolitio omni-  
um criminum coram Dei iudicio ex lege facta erit, & retra-  
ctari

ctari crimina nequibunt. Obligatio semel extincta non re-  
vifcit. C. de Abolitionibus. l. i. *ne semel finita instaurentur.*

X I V

III. Nullus fructus, nullum effectum satisfactionis Chri-  
sti ad alios, præterquam salvandos, pertingit; ergo pro aliis  
satisfecisse Christum morte sua, temere dicitur. Fructus &  
effecta satisfactionis Christi, ad homines redimendos sunt. I.  
*vocatio* per prædicationem Evangelii, qua Christi mors & be-  
neficia hominibus primùm significantur, & innotescunt. II.  
Gratia internæ vocationis, & *conversionis* salvificæ ad fidem,  
ac reliqua salutaria. III. *justificatio* propter Christi satisfacti-  
onem. IV. *sanctificatio* per spiritum Christi: & quæ cum justi-  
ficatione ac sanctificatione præterea conjunguntur. V. deni-  
que *salvatio*. Nihil istorum ad reprobos, ad damnandos. Vo-  
catio quidem externa Evangelii illos etiam quandoque fe-  
rit; sed hoc fit per præcones Evangelii homines, ignorantes  
divinæ de hominibus prædestinationis; non quod illis Deus  
vocationem illam ordinet, solis salvandis proficuum: uti sol  
lucet videntibus, iisque qui inde beneficium capiunt; non in  
gratiam cæcorum, vel mortuorum oritur; quantumvis &  
eos irradiet, inter vivos & videntes dum hærent. Nō contin-  
git reprobis gratia internæ tractionis, vel conversionis: ne-  
que habent (quod tamen arcto nexu Apostolus cum Christi  
passione cōjungit) *τὴν δόξαν αὐτοῦ ἡμεῖς ἴδμεν, ἡμεῖς δὲ αὐτὸν οὐκ ἴδμεν, ἡμεῖς δὲ αὐτὸν οὐκ ἴδμεν*  
apud Patrem, quod cum expiatione, per ipsum facta, conjun-  
git hoc loco Apostolus Iohannes I. cap. II. 2. Neque de iis  
valet argumentatio Apostoli, Rom. VIII. 34. *quis est, qui  
condemnet, Christus mortuus est.* &c. Augustinus lib. III. con-  
tra Julian. Pelag. c. 3. pro portento habet, dicere de homi-  
nibus: *redimuntur, sed non liberantur.* Superfluum, & temera-  
rium est, omne quod ex satisfactione Christi ad reprobos  
alii deducunt. Nihil Christo cum alienis. Lupus serva-  
tus librum in Synodo Moguntina scripsisse dicitur, à Sige-

berto Gemblacensi, de viris illustribus, cap. xciv, sub hoc tit.  
*de sanguinis Christi quadam superflua taxatione, vel redemptione us-  
que ad salutem impiorum* Sane hoc superfluum est.

#### X V

Huc faciunt jam argumenta pro nostra sententiâ, ex locis  
Scripturæ, dicentibus 1. Christum pro *solis electis*, suis *ovi-  
bus*, mortuum. Ies. l. III. Matth. 1. 2. Tit. 11. 24. Ioan. 11.  
16. Io. vi. 37 & xvii. 24. & xi. 51. Ephes. v. 23. 25. Act.  
xx. 28. Heb. xiii. 12. Luc. i. 11. 11. non pro aliis. *non pro  
mundo* Ioann. xvii. 9. Vbi observandum; Scripturam quan-  
do *ex professo* hanc materiam tractat, atque agit de satisfa-  
ctione Christi, ejusque fine, vel objecto, nunquam aliter lo-  
qui, quam eam factam pro electis, fidelibus, & salvandis; ur  
in epist. ad Hebræos. Alibi utitur termino generaliori, vel  
omnium, vel mundi; sed tum *obiter* modo hanc materiam  
attingit, ut nostro loco. 1. Ioann. 1122. aliisque. Ex illo ve-  
rò magis formanda est hujus articuli doctrina, quam hinc.

#### X V I

Quomodo ergo locum Iohannis sumere oporteat, porro  
quæres. Dico, respiciendam esse 1. vim vocis *κόσμος mundi*. 11.  
*mentem loci*. Neutrum verò jubet, universaliter locum cape-  
re.

#### X V I I

Vsitatum est in omnibus linguis, vocem *mundi* non gene-  
ratim pro toto mundo, vel omnibus in mundo hominibus  
sumi; sed etiam pro insigni hominum multitudine. Signifi-  
cat *mundus* præter *ornatum* proprie. 1. mundi hujus universi,  
caeli terræque *fabricam*. Ioann. 1. 9. 10. & xvii. 5. Eph. 1. 4.  
Deinde, *terram*, ejusque loca. Ioann. 1. 10. & xvi. 28. & xxi.  
25. Rom. 1. 8. Col. 1. 6. 11. Pet. 1. 4. Tertio, *homines* in mundo,  
indefinite. Ioan. 111. 16. & iv. 42. *ὁ ὅσιος κόσμος*. 1 Io. 1v. 14. si-  
mili phrasi de Augusto dicebatur, & visitur in numismatibus:  
*salus generis humani*. Ioann. vi. 33. 51. & xii. 47. & xvii. 21. &  
xiv. 19. & xviii. 20. Rom. v. 19. Quarto, *omnes* & singulos ho-  
mines.

mines. Rom. I II. 19. Quinto, *terrena*. I Cor. VII. 31. 34. Sexto,  
*mala mundi*. Ioan. II. 15. 16. Ioan. XIV. 30. I Io. V. 19. Gal. VI.  
 14. Septimo simpliciter *multitudinem*. Iacob. III. 6. O-  
 ctavo, *multitudinem hominum*. Ioan. XII. 19. per hyperbo-  
 lem. Sic Hieronymus, Tom. I. epist. ad Oceanum, in fine:  
*Xenodochium in portu Romano situm, totus pariter mundus auditur.*  
 Similiter in vita Pauli eremitæ: *Hoc ne cuiquam ob incredulita-  
 tem scrupulum moveat, sub Rege Constantino universo mundo teste  
 defenditur.* Non significat multitudinē improborum. Ioann. VI II.  
 23. & I. 10. & VII. 7. & XII. 31. & XIV. 17. 22. 27. & XV.  
 18. 19. & XVII. 14. 11. Pet. II. 5. I. Cor. XI. 32. & VI. 2.  
 Heb. XI. Matth. XVII. 7. Decimo denique etiam multitu-  
 dinem *piorum*, & fidelium designat. Rom XI. 12. 14. Confer  
 Gomarum in Matth. xx. pag. 99. Digress. *de vocis mundi di-  
 stinctione.* Prosper lib. *sententiarum* ex Augustino, quod inter  
 Augustini opera etiam occurrit, sub tit. *de vera innocentia, c.*  
*54. Duo hominum genera sub uno mundi nomine nuncupantur. Si-  
 cut enim dicitur mundus in impiis, ita dicitur mundus in sanctis.*  
 Vide huius dicti egregium exemplum Ioann. III. 17. Am-  
 brosius in Psalm. cxviii. serm. xii. *Et adverte, quomodo om-  
 nia trahat; exaltatus est in cruce, & totus credidit mundus. Orige-  
 nes, contra Celsum, lib. III. totius orbis instructor Christus, &  
 castigator.* In Liturgia Iacobi, precatur Sacerdos: *ὁ Θεὸς ὁ Θεὸς  
 πάντων, ὁ Θεὸς ἐγγύσιον ἀρσέν, τὸ πᾶν τοῦ κόσμου & πάντες καὶ οὐρανὸς, τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰη-  
 σὺν Χριστὸν ἐκλεκτὸν υἱόν.* Prosper, in Respon. ad Capit. Gallorum:  
*Ex toto enim mundo totus mundus eligitur, & ex omnibus hominibus  
 omnes homines adoptantur.* Adeo non sequitur, ut, ubi totus  
 mundus nominatur, statim omnes & singuli in mundo ho-  
 mines intelligi debeant.

#### X V I I I

Atque hunc locum quod attinet I. Ioann. II. 2. quomodo  
 vox mundi accipiatur, & quod magis ibi dicitur, *totius mundi*:  
 respondeo, intelligi atque respici ab Apostolo multitudi-  
 nem hominum ex toto mundo tum ad Christum per fidem

*vocatorum, tum vocandorum*; pro quibus ait Christum factum  
 expiationem. Præter se, eosque, quos in scribendo hic allo-  
 quitur, dum dicit, Christum propitiationem esse, non solum  
 pro *nostris* peccatis, deflectit in reliquum mundum suos o-  
 culos, atq; non tantum intuetur per totum mundum pluri-  
 mos jam ex Gentilibus quaquaversum vocatos & credentes  
 in Christum, & in ejus propitiationem, quos solos bene licu-  
 isset voce mundi designare; sed præterea etiam vocandos  
 tum, & quovis seculo; de quibus quin rite usurpaverit no-  
 men mundi, optimeque dixerit, Christum non pro se solum  
 suisque, sed & pro toto mundo expiationem fecisse, illos  
 omnes denotans, nullus addubito. Sive respicias I. vocato-  
 rum, vocandorumque *multitudinem*. II. *promiscuam* toto ex  
 mundo eorum selectionem. III. *Contra Israëlitas*, eorumque  
 pristinum à reliquo mundo discrimen, quo soli ad Deum, &  
 Christum spectare videbantur. Iam ex Gentilibus vocati  
 promiscuè plurimi, semperque vocandi, quid ni mundus ap-  
 pellentur? Quo sensu Gregorius Nazianzenus dixit, orat.  
 in Pascha: *magna illa & quantum ad primam naturam immaculabi-*  
*lis, ut ita loquar, victima, legalibus sacrificiis immixta est; illa in-*  
*quam non exigua cujusdam partis terrarum, nec ad exiguum tempus,*  
*sed totius mundi nunquam intermonitura expiatio.* Auctor Solilo-  
 quiorum, apud August. Tom. ix. cap. xxxi. *Cognovi te verum*  
*Deum & Dominum nostrum Iesum Christum creatorem, redemptorem*  
*meum, & totius generis humani.* Sensus ergo loci est: Christus pro-  
 pitiatio est, non solum pro peccatis nostris, filioli; sed pro om-  
 nibus per totum orbem fidelibus, qua vocatis, vel vocandis.  
 Mundus dicuntur, ob multitudinem; tum, quod per totum  
 orbem degunt. Respice Rom. xi. 12. 15. & 1. 8. Col. 1. 6.

X I X

Atque hujus amplitudinis significandæ causa est, quod sa-  
 cri scriptores locutione utantur nonnunquam liberaliori, &  
 jam pro omnibus, jam pro mundo &c. Christum passum  
 esse secure dicant; parùm ad præsentem nostram respici-  
 entes

entes disputationem, nequaquam volunt pro omnibus æque hominibus peccatoribus peccatisque promiscue satisfecisse Christum; satis habent latitudinem & abundantiam passionum Christi pro Ecclesiâ, & salvandis deprædicasse. Vnde illorum laxæ locutiones bene cum nostra sententiâ conciliari queunt, secundum nonnullas, quasq; ipsi satis innuunt, suorum dictorum expositiones.

X X

*Primo enim vel voluerunt hoc: per Christum, ejusque mortem omnes redimi, quotquot redimuntur, reduplicative; id est, nullos nisi per eum; & per eum solum patere redimendis viam: uti ad locum 1. Tim. 11. 4. vocem omnis prima ejus data expositione quoque explicuimus. Hilarius, in Psalm. 114. Maledictorum se obtulit morti, ut maledictum legis dissolveret, hostiam seipsum Deo Patri voluntarie offerendo omnem humani generis salutem oblatione sancta hujus & perfectæ hostiæ redempturus. Cyrillus Alex. lib. 11. cap. 11. in Ioann. Dedit igitur pro vitâ omnium corpus suum Dominus. In ipso totum genus humanum ab interitu liberatum dicimus. Augustinus lib. 5. contra Iulian. Pelag. cap. 1. Christum Salvatorem prædicat omnium hominum, atque etiam parvulorum. Optatus Milevitanus, lib. 111. contra Parmenionem: Has animas sanguine suo Christus Salvator noster redemit, Apostolo dicente; emti estis pretio magno. Constat enim Christi sanguine omnes redemptos. Proclus episc. Constantinop. epist. de fide, ad Armenos: Exinanivit seipsum in formâ servi, nullam Deitatis circumscriptionem sustinens, & hoc modo servat omne humanum genus.*



# Corollaria Respondentis.

- 1 *AN detur inter homines aliquis visibilis iudex controversiarum de religione, qui sit infallibilis? Neg. contra Pontificos.*
- 2 *AN justificare in articulo de hominis justificatione significet iustitia habitum infundere? Neg. contra eosdem.*  
*AN humana Christi natura per unionem personalem communicata sint proprietates Dei essentielles? Neg. contra Lutheranos.*
- 4 *Verba Cœnae D. (hoc enim est corpus meum) tropicè sumenda sunt. contra eosdem, & Pap.*
- 5 *AN Christus carnem suam ex Maria B.V. assumpserit; an vero ex celo detulerit? Aff. prius. Neg. post. contra Anabaptistas.*
- 6 *AN infantes sint baptizandi? Aff. contra eosdem.*
- 7 *Religio Remonst. sub prætectu quinq; articulorum conata fuit omnes generis Hereses introducere.*
- 8 *AN prædestinatio extra Deum habeat ullam causam? Negatur contra eosdem Remonst.*
- 9 *AN Deus præsciat futura contingentia? Aff. contra Socinianos.*
- 10 *AN Deus Veteri legi morali alias novas superaddiderit? Neg. contra eosdem.*

DISPU.